

**Dissertatio medica inauguralis, de rabie canina ... / eruditorum examini
subjicit Jacobus Lomax Bardsley.**

Contributors

Bardsley, James Lomax, 1801-1876.
Woodforde, James
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat Joannes Moir, 1823.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/r5pwc8vj>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution


This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





(10.)

1840 / 10

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
RABIE CANINA.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

HARVEY CANNON

1892

ANNUAL REPORT

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

D. GEORGE BAKER, ESQ.

RECEIVED

1892

AMERICAN SOCIETY OF ANTHROPOLOGY

WASHINGTON, D. C.

THE CHICAGO BOTANICAL GARDEN

REPORT OF THE CHICAGO BOTANICAL GARDEN

HARVEY CANNON

1892

VALUABLE TO THE UNIVERSITY

RECEIVED

1892

1892

THE CHICAGO BOTANICAL GARDEN

REPORT OF THE CHICAGO BOTANICAL GARDEN

1892

1892

RECEIVED

1892

LIBRARY

RECEIVED

1892

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
RABIE CANINA :
QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO ;
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
JACOBUS LOMAX BARDSLEY,
ANGLUS ;
SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ EDINENSIS SOCIUS,
NECNON
PRAESES ANNUUS ;

Principiis obsta ; sero medicina paratur
Cum mala per longas convaluere moras.
OVID. *De Rem. Am.* I. 92.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI :
EXCUDEBAT JOANNES MOIR.
MDCCCXXIII.

UNIVERSITY OF MICHIGAN

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
HARVARD

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN

LIBRARY

SAMUELI ARGENTO BARDSLEY,

MEDICINÆ DOCTORI,

NOSOCOMII GENERALIS,

NECNON

NOSOCOMII AC ASYLI PHRENETICORUM QUÆ SUNT MANCUNII

MEDICO SENIORI ;

SOCIETATIS IBI LITERARUM PHILOSOPHIÆQUE STUDIOSÆ

MULTOS OLIM ANNOS

PRÆSIDI VICARIO ;

VIRO

TUM DIRISSIMA QUAM HÆC DISPUTATIO COMPLECTITUR PESTE

LUCULENTER ILLUSTRANDA,

TUM MULTIS ALIIS SCIENTIÆ MEDICÆ ARGUMENTIS

PERITE TRACTANDIS,

APUD MEDICORUM ORBEM

JURE INSIGNI,

HOC TENTAMEN INAUGURALE

PATRUO OPTIMO

AMORIS AC OBSERVANTIÆ PIGNUS,

PLURIMORUM IN SE QUÆ CONTULIT BENEFICIORUM

TESTIMONIUM,

SUMMA REVERENTIA

CONSECRAT

AUCTOR.

THE HISTORY OF THE

REIGN OF

CHARLES THE FIRST

BY

JOHN BURNET, ESQ. OF THE MIDDLE TEMPLE

IN TWO VOLUMES

LONDON, PRINTED BY J. STURGEON, AT THE SIGN OF THE

WINDMILL, IN ST. MARTIN'S LANE

1724

THE

RIGHT HONOURABLE THE LORDS OF THE TREASURY

AND OF THE EXCHEQUER

THE RIGHT HONOURABLE THE LORDS OF THE COMMONS

IN PARLIAMENT ASSEMBLED

DO HEREBY ORDER

THAT

THE HISTORY OF THE

REIGN OF

CHARLES THE FIRST

BE PRINTED AND SOLD BY J. STURGEON, AT THE SIGN OF THE

WINDMILL, IN ST. MARTIN'S LANE

1724

BY

JOHN BURNET, ESQ.

THE LANCET

1890

THE LANCET

THE LANCET

THE LANCET

THE LANCET

THE LANCET

THE LANCET

THE LANCET

THE LANCET

THE LANCET

THE LANCET

THE LANCET

THE LANCET

THE LANCET

THE LANCET

THE LANCET

THE LANCET

THE LANCET

THE LANCET

THE LANCET

So/

J. Woodford Esqr

With the best respects

of the Author.

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,
DE
RABIE CANINA.

AUCTORE JACOBO L. BARDSLEY.

E PLURIMIS, qui generi humano obveniunt, morbis, accessione incertus, indiciis terribilis, malis secuturis formidandus nullus est, aequae Rabies Canina; quae quidem medici rationes vel ad praecavendum vel ad medendum adhibitas vincit, opibus et naturae et artis conjunctis nequidquam obnixa. Materiam hanc aggredienti nulla subest opinio, quaecumque proferre possim, ad veram rei rationem felicemve curationem stabiliendam ductura; at in spem veni, eventa fideliter narrata nonnihil

profutura ; eoque magis quod occasiones, quibus notae morbum vel praecedentes vel comitantes accuratius expendantur, paucae existunt. Tenebras, quibus involutum est hoc malum, densiores reddidère multi, cohortem indiciorum confusam exponendo, quae pari fere jure ad Phrenitidem, Hysteriam, vel Tetanum spectant. Profectum ad hydrophobiam pariter ac Insaniam cognoscendam nostrum retardavit, primo, usus vocabulorum ad species cadaveris incisi morbidas describendas haud rite discriminatus ; secundo, corporum post rabiem sectorum paucitas ; tertio talium opportunitatum neglectus. Cum quibusdam Gallis, qui recens hanc rem perite tractavère, sic ut censeam, adducor, anatomiae hujus morbi pathologicae tantam non habitam esse rationem, quantam postulare videretur. Rabiei exempla, quod mortalibus bene vertit, numero haud multa ; annis vero proximis aliquanto frequentius acciderunt. Ex his unum notatu dignissimum paulo longius retuli, in quo mali origo, progressus, indicia, curatio, terminatio, ac pathologia diligenter expressa sunt. Hac potis-

simum de causa, quod exemplum apte compositum naturam ipsius morbi saepe clarius illustret, quam e libris collecta ejusdem subtilis descriptio. Ad hoc malum morsu rabidi animalis ortum medici plures clari, non hodierni modo, sed antiqui etiam, animos attenderunt. Verum mirabilium amor, caecum auctoritati aliorum parendi studium, avida commentorum cupido, antiquos de hoc argumento scriptores occupasse videntur. Verbum, quod ad hunc morbum designandum fere usurpatur, quidam merito haud probarunt. Liquida aversari est hujus affectus indicium profectò praecipuum, sed minime necessarium, quippe quod exemplis memoratis haud paucis abesset. Liquidorum devorandorum difficultas eorundem horrorem praecedit, idcirco βραχυποτεα verbum vel Δυσκαταποσις morbo exprimendo aptius quam Υδροφοβία, nonnullis visum est. ¹ Horrores aegro fluida haurire conanti quam solida graviores; scilicet quia in illis hauriendis difficultas major, glottide violentius contractâ, et aditu inde aëri di-

¹ Vid. MARSHALL'S Morbid Anatomy of the Brain, p. 116.

utius praecluso. Neque fluida tam facile quam solida homines etiam sani hauriunt. ² Musculos facultate hauriendi fungentes, in hoc morbo non laborare constat: siquidem agitationes vitare potest aeger et convulsiones, si ita hauriat, ut laryngem non elevet: nam haec elevata, negotium horrendum facessit.³ CÆLIUS AU-RELIANUS nomen generalius ὑγροφωσίας ab υγρῶ liquido et φωέω metu deductum memoravit: at hoc aeque ac caetera minus est probandum. ⁴M. METZLER nominibus expositis, quae huic morbo designando parum videantur apta, tum ὑδροφωσίαν, tum φευγυδεον tum φελοδιπσον rejicit, verum Cynolyssam prae caeteris adoptandum judicat.—Equidem magis placet hoc nomen, propterea quod in nostris regionibus canes in Rabiem saepissime incidant. Rabiem Caninam quae idem ac cynolyssa sonat, utpote nomen minime ineptum elegi; eandem nuncupant Galli “ la Rage.”

² Vid. Oper. modo cit. p. 119.

³ Acut. Morb. Lib. III. Cap. ix. No. xcvi. p. 218.

⁴ Memoires de la Soc. Royale de Medecine, année 1783. Second Part, 2 V. in 4.

Jam quae sit hujus mali natura, quae ex ordine indicia, quae pathologia, quaeque sit de-
mum curatio, scrutari conabor.

⁵ ANNE hoc malum sponte oriatur unquam, inquirere praetermitto; interea posuisse sufficiat, cerebri percussionem, terrorem affectus animi graves subitosque, defatigationem tempestate calida nimiam, gelidae corpore calente potum, graviditatem caeteraque causas hujus morbi excitantes esse recensita. Exemplum rabiei spontaneum probasse a ⁶ MOR-
GAGNI existimantur. Exemplum rabiei a terrore genitae retulit ⁷ PLATERUS; aliud et exitiale ⁸ SAUVAGES, quod, corpore nimis ir-

⁵ Hic loci ad librum Doctoris BARDSLEY de Rabie Canina et Spontanea Anglice scriptum, referre volo: in quo de hujus morbi exemplis, quae ortum spontaneum habuisse traduntur, vel quorum saltem origo investigata nec rabidi animalis morsui nec cujusvis generis contagiosi debita videtur, perite disseritur.

⁶ Epist. Anatom. 8. Art. 31, 32.

⁷ Observat. Medecin. Lib. I.

⁸ SAUVAGES. Nosolog.

ritabili et aegrotante, pepererat mentis agitatio. Ejusdem plura leguntur exempla quibus liquet, signa hysteriae, morbi comitialis, tetani, aliquarumque febrium, exquisitam aliquando cum Rabie Caninâ habuisse similitudinem. Duo rabiei secundariae exempla notatu digna ⁹ M. TROLLIET narrat. ¹⁰ Traditur a M. PORTAL hepatitis exemplum, cui suberant indicia rabiei simillima. ¹¹ Invasisse puerum hydrophobia fertur qui de fructu Daturae Stramonii aliquid comederat pariter et ab aliis narcoticis sumptis, idem consecutum est. De causis aliis ac viro canino prognatam rabiem fuisse pro comperto est; verum magnopere dubito, notas rabie vere caninae expressas ac manifestas in ullo unquam exemplo extitisse in quo animalis rabidi venenum non esset acceptum. ¹² Exemplum quidem LINDSAY a Doctore BARDS-

⁹ Nouveau Traite de la Rage, p. 228—250.

¹⁰ Cours. d'Anat. Medic. Vol. II. p. 300.

¹¹ Vid. Dict. des Scien. Medic. art. Hydroph. p. 350.

¹² Observations on Canine and Spontaneous Hydrophobia, p. 237—252. Medical Reports.

LEY luculenter descriptum, in quo signa rabiei evidentissima se obtulere, unicum est, quantum ego scio, cui vel levissima ortus spontanei sibi vindicandi ratio suppetat. Proximum est, ut morbi naturam perpendamus.

DE MORBI NATURA.

AUCTORES qui hunc morbum tractavêre in sententias de natura ejus maxime diversas ivērunt. Eidem locum alium alii in scriptis nosologicis attribuerunt. Eum in morbis contagio propagatis collocavit ¹³ DESAULT; pro generis nervosi affectu habuêre NUGENT ¹⁴ POUTEAU et ¹⁵ LE ROUX; in Neurosium classe CULLENUS et PINEL posuêre. Hydrophobiam spasmis inseruit CULLENUS, ejus-

¹³ Dissert. sur la Rage.

¹⁴ Essai sur la Rage, ludans l'Acad. de Lyon. 8vo. Lyon, 1765.

¹⁵ Essai sur la Rage, dans les Mem. de la Soc. Royale de Medecine, 1783. 2d part, 2 V. 4to.

demque species duas, "rabiosam nempe cum
"mordendi cupiditate;" simplicemque "sine
"rabie vel mordendi cupiditate" definivit.
Hae autem definitiones a re verâ abhorrent, ne-
que factis nituntur. Cupiditas enim morden-
di adeo non necessario adjuncta est hydropho-
biae rabiosae, ut in hac occurrat rarissime;
quod in signis hujus affectus enarrandis de-
monstraturi sumus. Contra ea, quanquam
apparuit hoc signum in multis hydrophobiae
vel simplicis vel spontaneae exemplis, de qui-
bus memoriae proditum est; nullo tamen pac-
to ad utramvis speciem necessariò spectare vi-
detur. Hunc ut gravis inflammationis affec-
tum tractandum censuit ¹⁶ BOERHAAVIUS. ¹⁷ A
SAUVAGES et SAGAR in classe Vesaniarum, in or-
dine Morositatum, a VOGEL et CHAUSSIER in
Febribus simplicibus est collocatus. Hunc mor-
bum febris malignae naturam participare arbi-
tratus est ¹⁸ Doctor RUSH Philadelphicus. Isti

¹⁶ Aphor. 1144.

¹⁷ Oper. prius cit. p. 4.

¹⁸ Vid. Observations upon the Nature and Cure of the
Gout and Hydrophobia, p. 215.

febri similem esse rabiem autumabat. 1°, Signis suis ; 2°, Vario quo erumpit intervallo a viro in corpus immisso ; 3°, Specie sanguinis a brachio detracti ; 4°, Spatio temporis quo durat ; 5°, Putredine rapidâ quâ dilabatur corpus ; 6°, Eis quae cadaver incidentium oculis obvia veniunt. ¹⁹ MORGAGNUS ille, qui animo diligenti ac indefesso praeditus in morborum pathologiam potissimum incumbibat, affectum hunc inter morbos capitis descripsit. Hi rabiei characteres, alii apud alios scriptores reperti, sunt veluti praecipua morbi membra disjecta, quae in unum iterum coacta naturam ejus formamque fingunt. Colligere quidem taederet, quaecumque absurda auctoribus antiquis de rabiei natura placebant. Interea haud alienum sit docere, in sententiam DESAULT de malo per contagium propagato, universos fere ivisse. Contagium communicari viro speciali in corpus animale introducto ; impertiendi contagii non alii generi nisi canino, felino atque vulpino potestatem esse datam ; virus de-

¹⁹ De Sedibus et Causis Morborum, Lib. I. Epist. 8.

mum salivae vel humoribus in ore et apud fauces secretis inesse videri, plerique concedunt. M. TROLLIET autem ingeniosus de hac re scriptor multis quoad pathologiam observatis deductus est, ut quidquam venefici salivae inesse negaret. In corporibus pluribus, letho per hunc morbum datis, glandulas sub maxillis linguâque sitas, telamque reticulatam earundem exploravit, nec in his quidquam deflexisse de fabrica sana, detegere potuit. Nec minus diligenter, quo statu esset larynx, aspera arteria, bronchorum ramuli, perspexit; eosque pituitâ obvolutos spumosâ cognovit. Ergo spumam quae circa os faucesque cum rabie conflictantium cernitur, de viis aëris provenire praedicat; eandemque e membrana bronchorum mucosa, secretam, pariter ac gonorrhæae fluxum ex urethrae membranâ, existimat. Quin et quibusdam in hanc sententiam scriptis, ejus modi clausulam tandem imponit; ²⁰ “ Tout nous prouve que la
“ salive ne forme pas la bave écumeuse qui est

²⁰ Oper. prius. cit. p. 89.

“ chassée sur les levres ; qu'elle n'est point le
“ véhicule du venin de la rage ; l'anatomie
“ pathologique, l'observation et l'analogie, se
“ réunissent pour nous convaincre que cette
“ bave écumeuse, qui porte le principe de la
“ rage, est formée dans les voies aériennes, le
“ larynx, la trachée artère, les bronches et leurs
“ divisions.” Neque hanc sententiam amplectitur unus TROLLIET ; res enim ab illo observatas confirmasse et Dominum ²¹ LALOUETTE video. Nititur profecto auctoritate gravi, ac pathologicis attente perspectis, Domini TROLLIET doctrina nec ideo parvi pendi meretur. Jamque locus est idoneus breviter perstringendi, quibus diversis a contagio accepto intervallis hoc prodit malum ; pariterque narratorum pauca eventorumque scrutandi, quae adducta sunt ut virus caninum per longum tempus in corpore obdormiisse, et post-hac expergefatum saevire incepisse, testantur.

²¹ Essai sur la Rage, 2d Edit. p. 100.

DE VIRI IN LOCO LÆSO DURATIONE.

QUAE ab animalis rabidi sequuntur morsu, serius citius pro rerum varietate evolvuntur; aliis nimirum hominibus longe aliò temporis post virus acceptum spatio, erumpere solent. Nunc statim adsunt morbi signa intra paucos a morsu dies; nunc non ante menses aliquot elapsos; imo pluribus post annis adfuerunt, si modo auctores quidam creditu, sint digni.²² Meminit exempli POUTEAU, in quo Bajulum plaustrarium a cane suo morsum rabies biduo post occidit. Neutiquam vero enarravit indicia quibus fidem faceret hominem revera fuisse rabidum; huc accedit quod sacerdoti verae morbi naturae prorsus ignaro exemplum occurrisset referat. Quamobrem in illo exemplo omnino extitisse rabiem dubito. Mensibus a veneno communicato pluribus hunc erupisse morbum, haud pauci scriptorum testes sunt. Evolutum quatuor a morsu mensibus conspex-

²² Essai sur la Rage, p. 11.

ere ²³ FOTHERGILL et MOSELY. In milite, cujus exemplum longius tradidi, rabiei signa non ante aliquot post morsum menses se ostenderunt. A quodam, fide intemerata, certior factus est ²⁴ Doctor MEAD de exemplo, ubi mensibus ab inflicto morsu quindecim morbus aegrum erat aggressus. Simili ratione documenta mali, anno etiam post contagium acceptum nati, ACTUARIUS et DIOSCORIDES dederunt. Sensa sic exprimit ACTUARIUS sua.²⁵

“ Non est tamen ignorandum, vitium quod
 “ ab aquae metu, diximus ὑδροφοβίαν nuncupari,
 “ haudquaquam praescriptum statutumque
 “ habere diem quo ingruat; siquidem ut plu-
 “ rimùm quidem post quadragesimum diem
 “ negligentiores adoriri solet; attamen inter-
 “ dum et post sex menses et anno elapso
 “ invadere contigit, ut nos *experientiâ* com-
 “ perimus,”—ait DIOSCORIDES,²⁶ “verum no-

²³ FOTHERGILL's Works, by LETTSOM, Vol. II. p. 222.

²⁴ Mechanical Account of Poisons, in several Essays, p. 152.

²⁵ De Methodo Medendi, Lib. VI. Cap. xi. p. 330, 331.

²⁶ DIOSCORIDES, Lib. VI. Cap. xxxix. p. 736.

“ visse illud etiam oportet, incertam habe-
“ re temporis mensuram inhaerentem metus
“ aquae affectionem. Plerumque enim intra
“ quadragesimam diem emergere solita, si
“ neglecta res fuerit, intra sextum mensem et
“ annum aliquando emersit. Ferunt nonnulli
“ tamen post septimum a morsu annum ali-
“ quando emersisse.” Quinetiam SALIUS,
SALMUTH, et ALBERTUS MAGNUS e variis
auctoribus exempla citavêre, quibus annos
septem, duodecim et etiam viginti morsum
inter et morbum aliquando interfluxisse de-
monstretur. At plura eorum tenui testimonio
niti apparent. Pleraque a fide auctorum
GRAECORUM pendent, qui maxima ex parte
auditionibus, historiis morborum parum ac-
curatis, exemplisque ad rabiem caninam spec-
tare falso existimatis, confidebant.²⁷ Auctori-
tate Scriptoris in Ephemeride Germanica,
virus caninum annos viginti sopitum esse;
testimonio autem ²⁸GASPAR a Reies annos

²⁷ MORGAGNI de Caus. et Sed. Morborum, Liber pr.
Ep. 8. Art. 21.

²⁸ Elysium Jucundar. Question. Camp. Qu. 61, No. 11.

etiam quadraginta in corpore latuisse, et tum demum jugulasse, MORGAGNUS nixus refert. Exemplum illud primum confirmatione profecto eget, ut pro comperto haberi mereatur : quin et secundum in falsi suspicionem meritò venit, uti quod non ipse vidisset GASPAR a Reies, sed ab alio observatum memoriae solummodo prodidisset. Auctores alii haud pauci exempla, sed auctoritatis adminiculo sat gravis carentia, in medium protulerunt. Quidam quos vera morbi causa fugerat, falsam, longinquam, finxerunt. ²⁹ Doctor BARDSLEY tradidit exemplum, in quo duodecim, a morsu canis pro rabido habiti, ante lapsi sunt anni, quam cerneretur morbus. A rationibus multis in tractatu suo commemoratis, animus ei inclinatur ut arbitretur hoc rabiei spontaneae exemplum fuisse verum ; aegrumque aliis de causis mortem occubuisse ac ani-

⁹² Medical Reports, p. 237. Hujus exempli evidentia manifestissimè elucet ut quam verum sit, nemo non conspicit, nulla enim non admota est diligenter ut quicquid aeger ipsiusque propinqui de eodem nossent, exploratum haberetur.

malis rabidi veneno. Exemplis auctorum variorum pluribus sic inter se collatis, eorumque, quae scripsêre hodierni, habita ratione, conclusiones sequentes deducere jure videmur.

1^{mo}. *Hunc morbum non statim post morsum se manifestare.* 2^{do}. *Subductis calculis, intervallisque exemplorum plurimorum in summam unam conjunctis, intervallum medium id reperire, ut dies quadraginta inter et menses tres spatium, a communicato veneno ad evolutum in corpore intervenire habeatur.* Intervalli varii, quo provenit morbus, excogitare rationem, parum feliciter, (ut opinor,) tentatum est. Accepti veneni copia dotesque, genus animalis quod hominem momorderat, timor subitus ac gravis, ictus cicatrici vulneris impactus, et temperamentum hominis proprium hunc morbum tempore vario prodeuntem, afficere sunt existimata.^{3o} Interea loci memorare convenit, e

^{3o} Vid. HAMILTON's Treatise on Hydrophobia, and Dr HAMILTON's paper on this subject, in the Transactions of a Society for the Improvement of Medical Knowledge, Vol. I.

magno eorum numero, qui a cane morsi erant rabido, non amplius quam partem vigesimam quintam in rabiem caninam incidisse. Jamque ad indicia rabiei declaranda progredior.

DE RABIEI SIGNIS.

Ex indiciis quae ineunte rabie, occurrunt, plura non huic soli propria, vèrum multis affectibus aliis communia videntur. In hujus mali signis dicendis, 1°, *Quae ad universum corporis habitum*; 2°, *Quae ad hauriendi munus*; 3°, *Quae ad functiones generales*; *sanguinis circuitum nempe, respirationem, concoctionem, secretionem et excretionem*; 4°, *Quae ad genus nervosum spectant, sum recensiturus.*

Sub capite primo, ea, quae ad partem morsu vulneratam referuntur, repono. In loco laeso dolorem nasci, affectus jamjam venturi praenuncium, plerique de hoc scriptores, et antiqui et hodierni, commemorârunt. Hunc dolorem

pro signo rabiei aggredientis certo habebat CÆLIUS AURELIANUS: ³¹ “ Praepatitur enim “ ea pars,” ait ille, “ quae morsu fuerit vexata, “ unde initium denique passionem sumere “ nemo negat.” Exempli quoque multa ³² SAUVAGESIUS exponit, ubi cicatricum dolor, tumor, rubor morbo praeierunt. In exemplis SAMBET GUEYETH, et GIRARDET, quorum mentionem fecit ³³ M. TROLLIET, in pluribus ³⁴ a M. P. F. LABONNARDIERE memoriae proditis, ac in duobus a me infra referendis, sensus doloris in humero primum experti sunt aegri. Quod si in manu fuerit vulnus vel antibrachio, vellicationes acres apud humerum cervicemque fere serpunt, et dolor obtusus ad praecordia et ventriculi regionem usque aliquando patet. Hic vero minime universus, multis abest. ³⁵ “ On aura sans doute remarqué,”

³¹ De Morb. Acut. Lib. III. Cap. xiv. p. 202.

³² Dissert. sur la Nature et Cause de la Rage, p. 52.

³³ Oper. prius. cit. p. 59, 70, 74.

³⁴ Dissert. sur la Rage et l'Hydrophob.

³⁵ Mem. de l'Institut.

scribit SABATIER, " en retraçant l'histoire de
" plusieurs malades que les plaies de ces blessés
" ne sont pas devenues douloureuses a l'ap-
" proche des accidens qui devoient terminer
" leur vie, que les environs ne sont pas tume-
" fies et qu'elles ne sont pas rouvertes ; ce qui
" est contraire a l'opinion generale." Sub pri-
mum morbi impetum vires aegri prostratae la-
borant : curriculo morbi medio eadem praeter
naturam revalescunt, miris interdum modis
auctiores. Hominem vidit ³⁶ Doctor MEAD,
funibus validis in lectulo ligatis, eos uno conatu
subito abrumpere, et mox mori paralyticum.
Quam morbidam musculorum vim vero ma-
jorem praedicasse videtur mihi VAN SWIETEN
cum plures viros validos puerum hoc vexa-
tum morbo cohibere nequivisse dixit. ³⁷ Ri-
gores, quibus praeit capitis dolor, quibus-
que succedit ardor, in primis affectus hujus in-
diciis existunt. Praeterea vultum tumidum,
supercilia contracta, tremores in diversis cor-

³⁶ Oper prius. cit. p. 136.

³⁷ SAUVAGES. Oper. prius. cit. p. 11. in Notis. TROLLIET.
Oper. ante cit. p. 191.

poris partibus, et suspiria crebra ad hoc caput relegare licet.

DE INDICIIS QUÆ AD HAURIENDI FUNCTIONEM ATTINENT.

HAURENDI difficultas indicium est, quod animos observantium in rabie ubique ad se convertisse videtur. Tum doloris, tum partis quasi distenta, constrictaeque circa guttur percipitur sensus.—Qui devorando inserviunt muscoli, rigescunt, et afficiuntur spasmò, quoties solida vel fluida, sed haec potissimum, sumere conatur aeger. Cujus rei rationem reddere supra tentavimus (PAGE 3.) Corpus universum agitatione violentissimâ aliquando concutitur.—³⁸ A MEAD ³⁹ RIDLEY ⁴⁰ DICKSON caeterisque exponuntur exempla, quibus hauriendi difficultatis prorsus vel poene expertes fuerunt aegri. Eadem fere medio morbi curriculo evi-

³⁸ Oper prius. cit. p. 136.

³⁹ Observat. de Asthmate et Hydrophob.

⁴⁰ Med. Observations and Inquiries, Vol. III. p. 368.

dentissima est ; intervallis autem illa functio satis facilis evadit. Hujus signi varietates quae aliquando observantur, ab aetate sexuque vario forsitan pendent. In exemplis duobus, ⁴¹ a Doctore MARSHALL memoratis, hoc discrimen intervenit, ut in altero tum laboraret puer nec devorare omnino posset, cum buccam in pharyngem detrudere conaretur ; in altero puellae negotii magni res esset, simul atque in gulam demittere volebat. ⁴² Jam pro comperto est, instare istam difficultatem, non quia liquorem, bene vero quid ipsum devorandi actum miser horreat. ⁴³ Equidem aegri nonnulli fluidis videndis gelidaeque corpori admota magnopere delectari videntur. Affectus spasmodicus globi hysterici similis interdum adest ; quem tamen a globi hysterici natura distare ⁴⁴ PARRY osten-

⁴¹ Morbid Anatomy of the Brain, p. 79.

⁴² Vid. *Salium Diversum de Venenis*, p. 349. WHYTT'S Works, p. 680. 4to.

⁴³ Vide exemplum THOMÆ PEARSON in Opere Doctoris MARSHALL modo citato, exemplum quoque militis quod ego commemoravi.

⁴⁴ On Rabies Contagiosa in Man, p. 60—107.

dit. Linguam protrusam esse a VAN SWIETEN aliisque fertur; sed hoc interdum potius accidit quam ad morbi indolem pertinet.

*DE INDICIIS AD FUNCTIONES GENERALES
SPECTANTIBUS.*

Circulatio.—Arteriarum pulsus in hoc morbo varietatibus magnis obnoxius est; brevi post initium acceleratus, validus evadit et durus, et ejusmodi fere inter morbi progressum manet. Quaecumque nova sive externa sive interna genus nervosum identidem irritant, pulsum frequentiore reddunt; qui tamen mutationem raro patitur evidentem, donec vires corporis musculosae sub morbi metam gradatim decrescant. Sub hunc eventum exilis fit, debilis, praeceps, abnormis, et interdum vix sensibilis. Haec mutatio statim ante sentitur quam aeger cum fato instante luctetur.

2°, *Respiratio.*—Anxietas gravior et propria circum praecordia vel pectus totum cito in hoc

morbo ingruit, et fere ad ejus finem inhaeret aegroto. Hujus oppressionis gravissimae causam suggerere nonnulli sunt conati. ⁴⁵ Retulit eam Doctor HEYSHAM ad inaequalem sanguinis distributionem, a corpore summo ad vasa majora prope cor et pulmonem pulsi. Hoc pro conjecturâ est, nec sanguinis sic inaequaliter distributi subest ulla probatio. ⁴⁶ Irritatis pulmonum et praecipue bronchorum nervis eandem rem Mease potius ascribit. Septum transversum et respirationis muscoli in contractiones inordinatas impelluntur. ⁴⁷ Illud inter et fauces consensum intercedere novum VAUGHAN existimabat. Vix dubium est quin aliquem istiusmodi nexum partes istae inter se habeant. Adest aliquando tussis sicca levis, et vocis mutatio a scriptoribus nonnullis tradita, evidentior. Illa rauca et indistincta faucibus identidem haeret; in hunc modum mutata, cum latratu

⁴⁵ Dissert. Inaug. Chap. XI.

⁴⁶ Essay on the Disease produced by the Bite of a Mad Dog, p. 22.

■ ⁴⁷ VAUGHAN'S Cases and Observations, p. 47.

comparata est canis. ⁴⁸ FOTHERGILLI aeger spiritum subito ac vehementer emittebat, quo humorem in ore sibi tam ingratum diffilaret; inter hoc conandum, quod ait FOTHERGILL, vocem edebet latratui canis cavo haud absimilem. ⁴⁹ Memorat etiam exempla aliquot LISTER, in quibus aegri acriter latrarunt. Quod valde dubium existimo.

3°, *Concoctio*.—Munera concoctionis organorum plerumque multum vitiantur. A frequente bilis flavae vomitione, statu perquam turbato irritabilique ventriculum esse liquet. Dolorem obtusum, qui apud cordis scrobiculum fixus plus minus urget, conqueri solet aeger. Perturbationem ventriculi a functionibus cerebri vitiatis pendere arbitror. Sitis immodica et faucium ariditas miserum torquent; liquor tamen admotus antequam labia attingat, corpus universum violentissime agitari

⁴⁸ FOTHERGILL'S Works by Lettsom, p. 230. Vol. II.

⁴⁹ Vid. Exercit. Medicin.

coepit. ⁵⁰ “ Miserrimum genus morbi ; in quo
“ simul aeger et siti et aquae metu cruciatur.”

Secretiones et Excretiones.—Affectus hujus alio curriculo longe aliae sunt quoad dotes copiamque secretiones et excretiones. His exemplis copiosior urinae secretio ; quae tamen parcius singulis vicibus redditur ; illis, minor naturali ; est fere subfusca. Mingentem lacescit aliquando musculorum cremasterum dolor vel spasmus. Excretiones alvi hanc valde adstrictam plerumque indicant. Dejicitur nonnunquam quid viride, quod e fellis vesica, spasmis regionis hypochondriacae dextrae ipsiusque cistae fortasse compressa, et bile sic in intestina defluente, provenire duco. Sub crisis fluxus salivae fit insolitus, et os impletur muco, qui in fila facillime ducitur. Pituïta glutinosa frequentius expuenda multum molestiae affert. Halitus plenissimus sub morbi finem cutem irrorat.

⁵⁰ Celsus de Medicina, Lib. V. Cap. xii. p. 199.

*DE INDICIIS QUAE AD GENUS NERVOSUM
REFERUNTUR.*

Hoc perquam irritabile est; quod malum ad singula corporis organa propagatur. Stimuli leves aegrum convulsiones in gravissimas implicant. Aëris motum vel minimum, aquae et corporis cujuslibet lucentis vel pellucidi visum molestissime ferre perspicitur aeger. Agit omnia praeceps et inquiet, a rebus quibuslibet objectis sibi praemetuens; timidis oculis et suspiciosis cuncta perlustrat. Audito vel minimo strepitu ad timorem excitatur; interdum rupto murmure confusoque gemit. Saepe nescio quid ficti forte imaginatur, quod animum occupatum habet, quodque miser contemplatur territus, et aversatur. Splendent oculorum globi, atque ex orbibus emicare parati videntur; in vultu nonnunquam horror depingitur et angor. Auditus fere natura

celerior ; ⁵¹ quod tamen contra aliquando evenit. Tactus evadit delicatior ; cutis tenerima ; quod in corporis frigidi cujusvis contactu potissimum apparet. Olfactus etiam acutior ; generationis organa quoque cum corpore irritabili inter se interdum consentiunt. Penis erectio, Priapismus dictus, in hujus morbi signis est : ⁵² “ Veretri frequens tensio cum seminis involuntario jactu,” ad eum pertinere a CAELIO AURELIANO memoratur.

⁵³LISTER, ⁵⁴MEAD, ⁵⁵BOUTEILLE, et ⁵⁶MAR-
CET, hoc occurrisset signum retulerunt. ⁵⁷Saepe tamen abest, et in aegris suis natum esse ab epispasticorum irritatione, quae in morbo

⁵¹ WAVELL, Vid. Medical Records and Researches, &c. p. 147.

⁵² Oper. prius cit. Lib. III. Cap. xi. p. 220, 221.

⁵³ Oper. prius. cit. p. 120. ⁵⁴ Oper. prius. cit. p. 133.

⁵⁵ Histoire de la Soc. Roy. de Medicine année 1783.

⁵⁶ Med. Chirurg. Trans. Vol. I. p. 146.

⁵⁷ SHADWELL's cases, Vid. Memoirs of the Medical Society of London, and Dr M. HALL's case in his work on Diagnosis, p. 135.

medendo adhibita fuerant, LISTER existimat. Foeminas in hoc morbo uteri irritamento gravi affici ⁵⁸ PORTAL tradit. Mordendi cupiditas quoque in signis rabiei pathognomicis est posita. Aeger LISTERI primus "adstantes" dentibus petiisse, dicitur. Illud quidem in animalibus inferioribus maxime conspicuum usu venit; in homine raro cernitur. Frequentius profecto in phrenitide, tetano, insaniâ, et morbo comitiali quam in rabie evenit; quod pluribus probari potest exemplis. Quod si mordere unquam conentur aegri, eos in id propensos esse eo consilio minime credo, ut cuiquam maleficium vel dolorem creent, sed ut funiculos quibus adstricti sunt superent, nam manibus ligatis non alia expressius monstrare ratione possunt, quantum repagula perfringere velint. Exemplis multis, quicquam violentum eousque non conati, adstantes obsecrant, ut salivae contactum evitent. Cor-

⁵⁸ LINNAEUS Classification of Diseases,—RICHERAND, Nosographie Chirurgicale, blessures par Animaux Enragés,—CULLEN's first lines,—Journal de M. M. LE ROUX,—CORVISART, BOYER, April 1814,—ANDRY, p. 130, &c.

pore sic supra modum irritabili, dotes tamen animi haud multum de statu sano deflectunt. Quanquam enim, inter animos ad res externas attendendos, non cohaerentia proferunt aegri, simul atque tamen quis eos alloquitur, resipiscunt, et rationi consentanea respondent. Illaesa fere manet memoria toto morbi decursu. Impigra saepe imaginatio et vivida; cogitationes aliae quam rapide aliis succedunt imprimis mirandum. Quomodo sensus generis nervosi sic evadant praeter naturam tenerimi, explanatu difficile foret, vel omnino frustra tentaretur explicatio. Qua in re hoc et praeterea nihil scimus, veneno canino mutationem nervis quandam propriam inductam esse, quâ sensus sibi morbidos induerent.

DE PATHOLOGIA.

INQUISITIONES pathologicae maximi semper sunt momenti, ut quae ad causas morborum distinctionesque illustrandas pertineant; quamvis saepe per illas minime liceat explicata dare signa, quae vario morbi curriculo, occurrunt. Cadavera tam multa dissecta, eorundemque signa per auctores exposita pathologiam huius morbi quoad multa perspectam effecisse sperandum erat; verum ea sunt ita diversa, adeoque parum sibi constant, ut pauca ex his utilia deduci possint. Hodie quidem nil nisi arctissima nobis suppetit cognitio de Rabiei pathologiâ. E signis morbidis, quae in corporibus ab hoc morbo mortuorum sunt observata, recensere praecipua conabor. Haec saepius intra caput perspecta fuerunt. Capita talium explorata plenitudinem vasorum sanguinis in cerebro, cerebello, medullâque oblongata, effusione seri inter membranas vel in ventriculis

nunc praesente nunc absente, plus minus ostenderunt. Exemplis multis sinus diversi saturati sunt sanguine; hunc in illis concretum semel reperit ⁵⁹ MORGAGNUS. Colorem solitum subcaeruleum amisisse, ac subrubrum assumpsisse dura mater fere dicitur. ⁶⁰ Infra eam bullae aëris sunt observatae; vasa piaë matris capillaria sanguine florido ita nonnullis distenta, itaque multifariam convoluta fuere, ut pars ea ruborem universum induisse videretur. ⁶¹ Sanguis e vasis suis in telam piaë matris reticulatam ruptus interdum est; unde ecchymomata, in sulcis potissimum circa fissuram Sylvii magnam profundis late patuere. ⁶² Plexus choroides colore profundè fusco sunt, aliquando prorsus nigro; cerebri scalpello acuto incisi facies maculis subfuscis cito tinguntur; cerebrum summum speciem quasi gelatinae aliquando gerit. Eandem ejus con-

⁵⁹ De Sed. et Causis. Morb. Lib. I. Epist. 8p. 61. art. 23.

⁶⁰ Vid. LIEUTAUD, Hist. Anat. Med. Tom II Obser. 312.

⁶¹ MARSHALL. Morbid Anatomy of the Brain, p. 142.

⁶² TROLLIET Traité de la Rage. Vid. Ouverture des cadavres de RICHER et GUYOT, p. 27—34.

ditionem in Phrenitide perspexêre MORGAGNUS, VALSALVA, BONETUS, et WILLISIUS. Substantia cerebri in hoc morbo, aridissima a nonnullis est dicta; quod vero haud consentaneum esse accuratius dissecta demonstrarunt. Eidem, qua cinereum est, color solito fere profundior; et centrum ovale guttis rubris plerumque intertinctum. Nervi optici in nonnullis reperti sunt crassiores solito et flaccidiores. ⁶³ Actiones vasorum cerebri auctae signa in plerisque a rabie dissectis esse visa, praestantissimorum auctoritate nixi facile probaremus. ⁶⁴ Mandata tamen literis sunt exempla, in quibus cerebrum nihil a statu sano deflexisse videbatur. Fauces aliquorum, pharyngem, gulam et arteriam asperam gravis, et

⁶³ MORGAGNI. Oper. ante. cit. Epist. viii. art. 27.—MEAD Oper. prius. cit. p. 143.—DARLUC. Rec. Period. d'Obs. p. 271,—VAUGHAN, Cases and Observ.—MARCET Medico Chirurg. Trans. Vol. I. p. 154.—BABINGTON Med. Comm. Vol. I. Med. Records and Researches,—TROLLIET Oper. ante. cit. p. 127—149, &c. &c.

⁶⁴ BONETI Sepulchreti. Lib. I. Sect. 8. Observ. viii. Intactum fuit Cerebrum, LIEUTAUD Oper. ante. cit. Tome 1. Pars. 1. Observ. 1553.

acerrima interdum, aggressa est inflammatio.

⁶⁵ Membrana gulae tracheaeque interna interdum erosa est, et gangraena subjacuit. In exemplo corporis a rabie incisi exponendo in hunc modum scribit MORGAGNUS. ⁶⁶ “Gula

“ in thorace, infimoque collo erat sana. At
“ suprema pars gulae quae jam pharyngi vicina est, et pharynx universa et larynx et as-
“ pera arteria interiore facie ex rubro nigricabant, ut non inflammatae modo, sed gangraenae esse proximae viderentur.” Haec tamen inflammatarum partium signa aliis exemplis abfuere, in quibus dubitare nemo omnino potest, quin indicia morbi adessent. In Doctoris RUTHERFORD aegro, quod exemplum scripsit ⁶⁷ Doctor MONRO Junior, inter cadaver quam accuratissime incidendum nihil morbidum in faucibus, larynge, pharynge, gula, ventriculo, vel intestinis detegi poterat.—

⁶⁵ Vide exemplum militis de quo supra dixi.

⁶⁶ Oper. ant. cit. Lib. I. Epist. viii. art. 25. p. 62.

⁶⁷ Vide eximium ejus opus de gulae humanae Anatomia Morbida, p. 137. •

⁶⁸Partibus eisdem nullam subfuisse phlegmonam plures alii scriptores insignes memorarant. Mucus spumosos apud asperam arteriam viasque aëris copia magna repertus, quod supra in natura hujus morbi perscrutanda significavi, a Domino TROLLIET allatus est, qui pathologiae lumen aliquod affunderet. Quae observata tradidit ille, perpendi probe merentur, utpote quae ab attenta morbidorum inquisitione proveniant; quae una morborum cognoscendi stabile suppetit fundamentum. Istiusmodi mucum notavit MORGAGNUS, copia enim spumae coloratae in aegri pharynge detecta fuerat; cujus incisionis partim jam memoravi. “Pharynx autem, quae,” addit ille, “usque ad nasi posteriora foramina, suumque ipsum fornicem plena erat spumae ex flavo virentis.” ⁶⁹Quod unum singulare et

⁶⁸ ROLFINCIUS Hist. Anat. Med. de M. LIEUTAUD.—BABINGTON Med. Comm. I. 215.—BARDSLEY Lond. Med. and Phys. Journal, XIII. 155.—PINCKARD, Ib. xxviii. 449. PARRY on Rabies Contag. in Man, p. 66. SELWAY'S Dissection.

⁶⁹ Essai sur la Rage, p. 100.

proprium in corporibus ab hoc affectu extinc-
torum reperit Dominus LALOUETTE, his ver-
bis expressum, "Une humeur que l'on peut
" comparer a une salive ecumeuse qui enduit
" toute l'arriere bouche ainsi que le larynx, le
" pharynx, la trachée artère et les grosses di-
" visions des bronches. Elle se trouve en
" plus ou moins grande quantité chez les dif-
" ferens sujets." Salivae glandulae sunt ali-
quando mole aliquatenus auctae, ⁷⁰ conditione
vero plerumque sana. Pulmo quod ad volu-
men haud mutatus, substantiam interdum
multo durior, cum plusquam natura fert san-
guinis contineat. ⁷¹ Pleura ac membrana
bronchorum ramulis inducta, et sic internam
pulmonis utriusque faciem ingressa, vasis ru-
bris turgentibus fere colorantur. Mucus spu-
mosus, de quo supra dictum est, in ore et
faucibus Rabie conflictantium observandus,
ex illa membrana inflammata, (quae TROLLIET

⁷⁰ BONETI Opera, prius cit. Lib. I § xiii. Tom. I. p. 342.
HERM BOERRH. Oper. omn. p. 215. M. FAURE Hist. de la
Soc. Royale de Medecine, 1783, Second Part. p 39.

⁷¹ LIEUTAUD Oper. prius. cit. Tom. I. Lib. II. Obs. 39.

est opinio,) gignitur. Haec organa emphysemate aliquo affecta quidam notarunt. Plures aëris bullae in tela reticulata pulmonum, quae lobos inter se conjungit, eorumque vasa comitatur, multitudinem vesicularum pellucidarum in superficie visae sunt conflâsse. Illud emphysema natum e ruptis bronchorum cellis, quod thoracis muscoli violenter se prae spasmio jactantes effecerant, Dominus TROLLIET arbitratur. ⁷² Inflammationis notas ostendit septum transversum, ⁷³ pariter et cor saepe numero; quod interdum flaccessit vacuum; alias durum est, et sanguinem profunde fuscum continet. ⁷⁴ De pericardii in hoc malo aridi conditione, meminit BONETUS. ⁷⁵ Maculae fuscae vel suffusiones nigrae in ventriculo interiori imprimis apud extremum magnum

⁷² MORGAGNI Oper. prius. cit. Lib. I. Epist. viii. art. 31.

⁷³ KREYSIG. Die Krankheiten des Herzens, 8vo. Berlin, 1814.

⁷⁴ Oper. prius. cit. Cap. 1. § viii. Tom. I. p. 211. VAN SWIET. Comm. p. 563. Tom. III.

⁷⁵ BAILLIE's Morbid Anatomy, p. 148.

apparent. ⁷⁶ Ostium ventriculi dextrum interdum contractum ; intestinorum tenuium, duodeni saepius, conditio inflammatorum est perspecta. Vasorum plurium humorem subnigrum continentium ramuli, jecori, fellis vesicae, lieni, renibus eorumque capsulis, colorem aliquando impertiunt. Inflammationis indicia in omento, mesenterio, vesica et pelvis visceribus sparsa, suffusionesque sibi similes sunt interdum conspecta. ⁷⁷ In mare urethra contracta est. ⁷⁸ In spinae medulla praecipuam rabiei sedem existere censet Doctor SALIN, qui in cadavere hominis a cane rabido morsi secando membranas inflammatas fuisse repererit. Quam conclusionem non nisi caute admittendam Doctor PARRY merito innuit. Ex observationibus peritissimorum qui hujus morbi pathologiae vacarunt, notas inflammationis fere in diversis corporis organis, in cerebro, pulmone, et ventriculo praesertim, occurrisse,

⁷⁶ MARSHALL Oper. prius. cit. p. 97.

⁷⁷ Oper. prius cit. p. 98.

⁷⁸ London Medical Journal, Vol. II. p. 272.

inferendum duco. Viros tamen spectatos haud paucos adducerem, qui in multis nihil mutationis morbidæ conspici potuisse testarentur. ⁷⁹ In decem a Rabie defunctis, quibus incidendis præfuit ille chirurgiæ scientia celeber manuque promptus DUPUYTREN, abfuit cadaveribus cuncta morbidæ nota; et Dominus LALOUTTE in corporum istiusmodi sectorum conspectu multum versatus, hæc observata protulit. ⁸⁰ “ L’ouverture de plusieurs
“ cadavres de personnes mortes à la suite de
“ la rage, ne m’a présenté aucun phenomene
“ particulier à cette maladie. On ne trouve
“ nulle part aucun signe de phlogose sanguine,
“ ni d’inflammation. Je n’ai observé nulle
“ part aucun signe de dissolution, aucun en-
“ gorgement ou phlogose humorale; aucune
“ gangrene interne, ni même aucune apparence
“ de disposition à cette diathèse.”

⁷⁹ Dissert. sur la Rage, par CH. BUSNOUT, Paris, 1814.

⁸⁰ Oper. prius. cit. p. 99.

DE MORBI CURATIONE.

Tot diros existere morbos, in quibus depellendis nihil omnino proficiat ars medicinalis, dolorem pectori omni humano non commovere nequit. Caeterum cum eo miseriarum ventum est, ut cum peste luctetur aeger maligna, levaminis summopere indigus, quod vel minimum praestare non penes est medicum, id huic imprimis, atque revera in hydrophobia, est dolendum. Cunctas varias affectus hujus curandi rationes commendatas ab auctoribus et adoptatas expendere valde operosum esset et factu difficile; modumque tentaminis hujusmodi solitum ampliari posceret, extra quem quidem vereor ne sim nonnihil egressurus. Medicis utinam nunciare possem remedium huic malo par, quod nondum tamen innotuit. Jam urgentia signa relevare, nec quid ultra in hoc affectu, medicina valet: nec jam ab hâc alia expectare auxilia convenit, nisi

quibus tum animi angor tum corporis leniatur aegro, aditusque pateat ad fatum minus terrificus. In curatione hujus morbi exsequenda, ordinem hujusmodi persequi animus est: 1°, *Quae extrinsecus auxilia*; 2°, *Quae intus ad malum praecavendum sunt adhibita*; 3°, *Medendi modum tractabo*. Sub hoc caput medicamenta habita sunt specialia, prout e frugibus aut animalibus, aut fossilibus nascuntur, includam.

DE CAPITULO PRIMO SEU AUXILIIS EXTRINSECUS ADHIBITIS.

AUXILIA quaedam suppeditant, quorum usu tempestivo malum nondum initum prohibeatur ne insideat.

Medicamenta plura, ut ad hunc morbum praecavendum valentia, immeritò floruerunt. Periculum quidem eorum in paucis exemplis factum non secutus sit morbus; idcirco malo

efficaciter resistere sunt dicta, quod, illis etiam non adhibitis, nequaquam superventurus fuisset; etenim liquet in canibus rabidis nuntiatis non multos ita se habere; hominumque a canibus revera rabidis morsorum, pro rata parte paucissimos infici contagio.

Partibus corporis laesis variae res admotae sunt ne virus absorberetur caninum. Vulnus statim post acceptum primo gelida dein aqua calida lavari, (quod sapienter suadet Doctor HAYGARTH) interesse maximi judico. Ad id extemplo confugere prius potest aeger, quam veniendi tempus detur chirurgo. Scarificationem et cucurbitulas, quae loco vulnerato applicatae sanguinem copiose demerent, multum laudâvere plures auctores eximii.

“ Utique autem (⁸¹ quod CELSUS scribit,) si
“ rabiosus canis fuit, cucurbitula virus ejus ex-
“ trahendum est.” Infra vulnus et supra posita

⁸¹ De Medicinâ, Lib. V. p. 199.

sunt ligamina. ⁸¹ In serpentium, imprimis crotali horridi morsu interdum prospere cedit illa curatio, ita ut venenum in corpus non absorbeatur. Usui ligaminis ipse parum confiderem, nec ea sine periculo usurpari posse puto: nimirum gangraenae partibus ipsis inducendae periculum est, cum tanta, ut proposito inserviant, compressione sit opus, quanta cursui humorum interrumpendo sufficiat. A nonnullis suasum est, ut quis ore vulnus exsugeret, quo venenum eo contentum plenissime extraheretur. ⁸² “ On rencontre (quod ait BOSQUIL-
“ LON) encore dans certains pays des hommes
“ qui appliquent hardiment leur bouche sur la
“ plaie immédiatement apres la morsure de
“ l’animal enragé, et qui, a l’exemple des Psylles
“ prétendent enlever le venin.” Auctores, qui id commendarint, culpat ⁸³ ANDRY, nec com-

⁸¹ Aiunt AMBROSIUM Pare illum celebrem, cum iter in Gallia cum Rege CAROLO nono faceret, indice extremo a vipera morsum ligamine cum fructu usum esse. (Vid Dissert. sur la Rage, p. P. S. LABONNARDIERE.)

⁸² Mem. de la Soc. Med. et Emulat. Tom. V.

⁸³ Recherches sur la Rage, p. 72. Note 1.

mittendum putat ⁸⁴ BOUTEILLE, ut tale negotium suscipiat quispiam nisi capitis condemnatus. Ne in corpus exugentis accipiatur virus, timendum; eoque magis, si casu ruptum fuerit gingivae vel labii vas superficialium. ⁸⁵ Exempla multi retulêre, quibus virus caninum ad rabiem gignendam valere, summae solummodo cuti admotum, demonstraretur. His autem ne decipiamur, diligenter cavendum est. ⁸⁶ Usurpata sunt instrumenta per quae viri absorbendi periculo, quod subit exugens, obviam iretur: quibus adhibitis, fructus e suctu forsitan aliqui percipi possunt. Vultus ab animali rabido inflictum amplificari, fluxumque humoris indequam diutissime fo-

⁸⁴ Mem. de la Soc. Roy. de Medecine, p. 160. Vol. cit.

⁸⁵ MATTHIOL. Comment. Lib. VI.—CÆLIUS AURELIANUS de Morbis Acutis, Lib. III. Cap. 9.—HAMILTON on Hydrophobia, p. 22.

⁸⁶ Proponit DUHAMEL in suctu usum syphonis quali injiciantur fluida ore lato buccinae simili—(vid. ANDRY Oper. prius cit. p. 72.)—Exugere posse quenquam commodius ore, ait PARRY, fistulae interventu qualis cum Nicotiana Tabaco usurpatur.—(Vid. PARRY on Rabies Contagiosa in Man.)

veri, auxilium unicum esse autumat ⁸⁷ Doctor FOTHERGILL, quo contra diros hujus veneni effectus homo tuto possit conservari. Hoc salutis consilium comprobasse experientia videtur. Applicarunt parti morsae multi medici eximii cauterium. Quod his amplissimis laudibus cumulat ⁸⁸ PORTAL, "La cauterization ou la brulure de la plaie faite par l'animal enragé, est le seul remède preservatif que m'a paru le mieux constater." Hic a RUFO EPHESIENI, GALENO, ÆTIO, Graecorumque plerisque usurpatum tradit: remedium a CELSO ⁸⁹ laudatur; sed ad id alii medicamentum causticum, alii ipsum cauterium praeponunt. Illud, nisi contra vulnera in ore sita, in quibus hoc, id est ferramentum calidum, adhibendum suadent Domini BOYER et RICHERAND. Contra ea cauterium ⁹⁰ Domini PERCY et DUBOIS commendant ipsum,

⁸⁷ FOTHERGILL'S Works by LETTSOM, Vol. II. p. 236.

⁸⁸ PORTAL sur Plusieurs Maladies, Tome Quatrieme.

⁸⁹ Oper. prius. cit. p. 199.

⁹⁰ Biblioth. Med. No. 124.

quippe quo cuncta vulneris facilius tanguntur et efficacius destruantur. Clavibus ecclesiarum fidit religio; quas Sancti PETRI, Sancti HUBERI, aliarumque, vicibus diversis adhibitas⁹¹ Dominus TROLLIET narrat. In quibus profecto cuncta vitanda superstitio; cavendumque est eis ad quos pertineat, ne vulgi credulitas stulta et male intellecta religio in nefas vanaque abeant. Usurae cauterii ipsius objicienda multa arbitror. 1°, Eo non satis calido, in vulnere summo formatur cicatrix, quae aliquid viri infra forte latentis tegat: 2°, Idem aspectu terrificum multi, foeminae praesertim delictiores, recusant quo minus applicetur: 3°, Adhibitum in vulneribus prope nervos aut vasa magna periculo haud vacat: 4°, Nihil tum profuisse, cum maxime debuit, si potuisset omnino, experientia ostendit. Medicamentum causticum pariter minus probandum,⁹² pariterque minus prospere succedit, praefe-

⁹¹ Traite sur la Rage, p. 333.

⁹² Notum est Domini ROWLEY exemplum, qui praefecti classis fuit filius; quanquam vulnere statim post accessum

rendum tamen ferramento calido existimo. Caustica frequentissimè usurpata, sunt potassa fusa, argenti nitras, acidum sulphuricum, ammoniae purae aqua, antimonii murias, et cantharidum pulvis. Commendatum est et setaceum. In causticis variis memorandis mentionem facere licet moxae, quae in Oriente usurpatur, et his proximis annis in Galliâ contra sciaticum et lumbaginem frequentata, contra rabidi animalis morsus quoque, his ipsis admovenda, proposita est.⁹³ “Moxa eodem tempore” quo haec scribo, quae sunt Domini METZLER verba, plures sanavi rheumatismos fixos; “annon in vulnere rabido prodesset.” Cujus remedii quae sit vis, periclitemur ante oportebit, quam cognoscere possumus. Verum dubito annon rem aequè bene gereret epispasticum, vel foniculus causticus, vel linimentum

applicavit causticum JOANNES HUNTER, ille magnus, malum tamen nihil omnino prodiit, lethale de more evasurum. (HAMILTON's Remarks, p. 221.)

⁹³ Mem. de la Soc. Roy. de Medecine, année 1783. Secundo Partie, T. 6 in 4.

volatile. In lumbagine et sciaticâ auxilio interdum magno est moxa; verum contra Rabiei accessum suspicor non magis valituram esse quam ipsum cauterium. Hydrargyri fricationes vulneri adhibitas esse exitu felici retulêre multi praestantes auctores, imprimis ⁹⁴ PETRUS DESSAULTIUS, Domini D'ARLUC, DUCHOISEL frater, GROSSIN DUHAUME, ARRIGONI, EHRMANN, BAUDOT, et de LASSONE. His autem frictionibus diffusus ne videar arrogans. Eas non aliâ nisi actione speciali in corpore universo, nec mechanica in vulneris veneno prodesse potuisse crediderim. Caeterum inutiles experientia nimis saepe demonstravit, adeo ut eisdem neutiquam sit fidendum. Quod securitatem summam praestat antidotum, est, ut pars morsa quamprimum et penitus excidatur. Quin et hoc cum spe perfici placet, quod ⁹⁵ Doctor MARCET defunctus non sine causa censuit, etiam post cicatricem sanatam, si modo cor-

⁹⁴ Vid. Dissert. sur la Rage, par ANDRY, p. 72---84.

⁹⁵ Medico-Chir. Trans. Vol. I. p. 156.

poris universi affecti nondum visa fuerint indicia. Equidem uniuscujusque medici ad hominem accersiti esse puto, partem vulneratam extemplo resecare, si hoc citra periculum fieri possit. Imo, eo opere omisso, illum maxime vituperandum praedicarem, nisi vulnus in cervice vel facie fuerit profundius, vel tendinibus, arteriisve, nervisve magnis proprius. Nam causticis vel lotionibus adhibendis moratus, in re capitali nugaretur.

Proximum est ut de auxiliis internis quibus praecavetur malum, breviter scribam.

DE AUXILIIS INTERNIS.

NON omnem spem in remediis ipsi loco laeso applicatis ponere, contra ut eis liberetur aeger rebus quae praedisponentes causae mali habeantur vel excitantes, ope cuncta niti debemus. Ad morbi adventum prohibendum, signa sit

ad phlegmonam proclivitas, corrigere; nervosum genus irritabilius lenire; conditionem concoctionis depravatam, tum secretionibus tum excretionibus variis accurate explorandis sanare, medicinae sunt rationalis. Primi peragendi gratiâ, detractio sanguinis generalis sit opus. De quâ post evolutum jam malum usurpandâ, postea plenior erit oratio. Cum animus aegro fere sit anxius, miseriaeque venturae praescius, corpusque cum animo consentiat, functionesque perturbatione nervosi generis universa laesas habeat, infelicem blande alloqui, periculisque mali sui contemplantis, quibus incubat, abstrahere, imprimis est commodum. In quo quidem ad extremum usque progressus est Dominus BOSQUILLON, qui non alia, quibus malo post injuriam acceptam occurratur, necessaria esse, nisi animos homini addere, diraque imaginantem eripere terrori, tradat. Verum enimvero rabiei signa, quod Dominus⁹⁶ ALIBERT observat, non ab animo solo pendent; quod si sic pependissent, et infantes et

⁹⁶ Nouv. Elem. de Therapeut. et de Mat. Med. p. 492. s. 2.

homines impetum morbi minime suspicantes, semper et ubique intacti mansissent. Quod experti longe aliter se habere medici noverunt. Siquando a metu gravis sit irritatio nervosa, antispasmodica veniant auxilio. Tum jecoris, tum cutis, tum renum secretio rite gubernanda curae sit oportet. Si praeter naturam detineantur excernenda, corpori perquam noxium universo: idcirco strigmenta, si qua intestinis insint, expellere, magni in praecavendo aestimetur. Usus balnei frigidi multum et ab antiqua memoria est laudatus; sed exemplum vel unum verum, in quo morbum ne superveniret, impedivit, literis proditum nescio. His factis morbum, modo aliquid viri sit absorptum, arceri posse minime; verum eadem remediis partis affectae antea commendatis auxiliari, et ad vim morbi evolvendi minuendam, hominemque fortiolem reddendum contra angores miserrimos quibus erit conflictandum, spectare puto.

Nostra plura laudatores strenuos habuere suos, utpote huic malo obicem ponentia alio-

quin venturo. In illis Tonquinium remedium memoretur et Ormskirkiense. Haec vero remedia existimata, quae rebus aliis quam virtutibus suis acceptam retulêre famam, hodie e medicina practica, ut decuit, expulsa fuerunt. Caeteris istiusmodi remediis, quae gloriam eandem magnam sed experientia judice falsam sunt adepta, sigillatim perstringendis supersedeo, ac ad ea, quae contra effectus veneni in corpore jactari jam coeptos usurpata fuêre, pergo.

DE REMEDIIS SPECIFICIS DICTIS.

SUB hoc capite, quae ab auctoribus summo-
pere sunt commendata ut in malo medendo
potentissima, exponam; quamvis Rabiem Cani-
nam veram nunquam hactenus fuisse sanata-
m, ad credendum sim valde propensus. Inter-
dum fieri potest, ut prohibeatur accessu mor-
bus; at initis jam signis exigua vel nulla spes
hominis conservandi superest, cum cuncta me-

dicorum consilia in irritum cadant. Quae sanationes existimabantur ab auctoribus multis publicatas scio; sed ea exempla, indiciis eorum ac historia exploratis, a Rabie Canina plurimum dissidere, quae mea est sententia, reperiuntur. Quod exemplum re secunda curatum narravit ⁹⁷ Doctor ARNOLD, Rabiei Caninae, quod recte notat ⁹⁸ Doctor PARRY, dissimilimum, hysteriam autem fuisse gravem, summa eorum formidine quae a Canis Rabidi morsu sequerentur, inductam, censeo. Exemplum notissimum a Doctore ⁹⁹ NUGENT, alterum ¹⁰⁰ a Domino WRIGHTSON, tertium a ¹ Doctore SHADWELL, et alia plura ab auctoribus diversis tradita, in quibus sanatio perfecta feliciter fuisse dicitur, ad hysteriam variam istam mutabilemque, ad tetanum alios-

⁹⁷ Case of Hydrophobia successfully treated, by THOMAS ARNOLD, M. D.

⁹⁸ Oper. prius cit. p. 3.

⁹⁹ Id exemplum est in quo Rabies a morsu Canis rabidi secuta, secundo fuit omine curata.

¹⁰⁰ Med. Tran. Vol. III. p. 192.

¹ Mem. Med. Soc. Lond. Vol. III. p. 404. case ii.

que affectus potius, quam ad rabiem referre debent.

Sanguinis ad deliquium animi usque missio remedium est in rabie his proximis annis magnopere commendatum. Quae quantum revera valeat, definire nequimus; cum spectati plenique fide viri pugnantissima inter se de effectibus ejus tradiderint. Quocirca in hoc discrimine constitutis tentandum nobis est, rebus factis, quas illi in medium protulêre, invicem collatis, dijudicare quae sit hujus vis vera remedii: siquidem probe inter medicos dudum convenit, non alii fundamento praeterquam observationi experimentoque doctrinam quamvis medicam mendendique modum posse tuto superstrui. Sanguinis in hoc affectu detrahendi, FOTHERGILL olim strenuus; recentiores TYMON et SCHOOLBRED auctores exstiterunt. In exemplo MASON a² Domino TYMON memorato fatendum est, detractionem sanguinis pleniorẽ ad pro-

² Lond. Med. and Phys. Journal, Vol. XXXVIII. p. 352.

gressum morbi remorandum valuisse. Verum scitemur necesse est, utrum hoc rabiei fuit exemplum verum necne; eo caute perlecto sic afficior, observata licet a Doctore BERRY repugnent, ut aegrum non Rabie verum Phrenitide acuta conflictasse cum Doctore PARRY credam. Quin et ³ Doctoris SCHOOLBRED exemplum generis esse alius ac Rabiei, quae qualiscumque mea est opinio, accuratius investigatum reperietur. Nonnulla tamen ille momenti haud parvi notavit, bene de republica medica meritis, qui curationem hujus affectus invenire et stabilire studio magno contenderit. ⁴ Doctores HARTLEY et ⁵ INNES alique de missione sanguinis plenissima feliciter cedente quaedam olim narrarant. In exemplo POLLOCK periculum ejusdem remedii ample factum est a Doctore RUTHERFORD, anno 1750; nec morbus inde substitit, ad metam usque vitae progressurus. In exemplo SELWAY, quod ex-

³ Edin. Med. and Surg. Journal, Vol. IX. p. 51.

⁴ Trans. Royal Soc. Vol. IV.

⁵ Med. Comment. Vol. III. p. 496.

posuit ⁶ Doctor PARRY, detractus est nequiquam sanguis. Idem remedium ut quod rem non bene gesserit nequaquam probat ⁷ Doctor MEASE. Experimenta sanguinis missi a Domino ⁸ TROLLIET instituta, medicorum animis satisfacere litemque dirimere adeo possunt, ut conclusionis verbis auctoris ipsius exsequenda venia mihi detur. “ L’inflexible
“ experience qui ne cede point a l’opinion, a
“ détruit toutes nos esperances. Gueyette a
“ etè saigné trois fois jusqu’a defaillance, et malgré la perte de sept livres de sang, la rage a
“ continue sa marche funeste. Une terminaison si contraire a celle que nous avions lieu
“ d’attendre, nous a fait jeter un regard plus attentif sur l’observation du Docteur SCHOOL-
“ BRED ; elle n’a pu soutenir l’épreuve de l’analyse ; et nous sommes convaincu que son auteur s’est laisse egarer, comme Nugent, par

⁶ Oper prius cit. p. 51.

⁷ Essay on the Disease produced by the Bite of a Mad Dog.

⁸ Oper. prius. cit. p. 367.

“ quelques symptomes, qu’une erreur trop commune a fait attribuer exclusivement à la rage. “ La saignée à défaillance, que des medecins “ célèbres avoient déjà conseillée, sera abandonnée de nouveau.” Ex his eventis conficitur, huic malo non mederi sanguinis detractionem, sed auxilio venire posse quo signa urgentia consoletur allevatio.

Opium est aliud in hoc malo remedium, fama celebri, et copia valde magna exhibitum. Plures hujus drachmae simul sumptae vix quicquam effectus pepererunt. Grana, ejusdem quinquaginta septem, horarum quatuordecim spatio, exhibuit eventu parum felici Doctor VAUGHAN. A Doctore BABINGTON dosibus magnis brevi temporis intervallo datum neque somnum conciliavit neque irritationem universam minuit. ⁹ In hoc exemplo aeger grana centum octoginta horis undecim hausit. ¹⁰ Ab aegroto Doctoris WAVELL, horis viginti qua-

⁹ Med. Records and Researches.

¹⁰ Ejusdem Operis, p. 151.

tuor grana quinquaginta, dein intra horam quatuor amplius sumpta, eidemque injecta decem nihil levaminis indiciis morbi praestiterunt. Hoc medicamento in nonnullis aegris curandis usus est Dominus LABONNARDIERE; de exemplo, in quo liberius illud usurpavit, haec scribit; “¹¹ Il en etait ici comme dans le “ tetanos, ou le systeme nerveux est insensible “ a des doses ordinaires de ce medicament, et “ ou l’on peut etre hardi sans temerité. Le “ Docteur GINLIE nous assure (Acad. des “ Sciences de Turin 1802,) que dans un cas “ d’hydrophobie compliquant au tetanos, ou “ donna en une fois cent-vingt gouttes de tein- “ ture thebaïque, et quatre-vingts grains de “ muse; et qu’au lieu d’en éprouver un mau- “ vais effet, le jeune malade dormit bien la “ nuit suivante, et fut retabli deux jour apres.” Illud rabiei fuisse exemplum valde dubito; ejusmodi vero est quod demonstrat, qua vi effectibus medicamenti consuetis resistendi pol-

¹¹ Dissert. sur la Rage et l’Hydrophobe, p. 60.

leat corpus irritamentis certis affectum.¹² Grana extracti opii octo in venam juvenis hoc morbo laccessiti immisit Dominus DUPUTREYN, nec quid effecti inde apparuit. Laudibus quas in hoc malo sibi comparaverat hydrargyrum, tempora recentiora aliquid detraxerunt. Quod ad hoc medicamentum in rabie primo exhibitum attinet, si quis historiam velit, in opusculo Domini¹³ ANDRY eam reperiat. Ibi dem narrantur exempla multa per salivae fluxum sanata. Equidem verum est, in corpore universo exstimulando actuosissimum esse hydrargyrum ; at eo ipso pacto nocere potest, quatenus cum omnis corporis tum eorum organorum imprimis, quae huic malo maxime sunt opportuna, sensum irritabilem augeat. De hoc remedio haec tradit M.¹⁴ LABONNARDIERE : “ La reputation brillante dont avait
“ joui le mercure pendant une partie du der-
“ nier siecle, ne s’est pas soutenue dans le traite-

¹² Dissert. de Ch. BUSNOUT, Paris, 1814.

¹³ Dissert. sur la Rage.

¹⁴ Oper. modo cit. p. 53.

“ment de nos blesses a une dose suffisante
“pour exciter la salivation.” “Il a etè admi-
“nistré sans fruit a deux de ceux morts a la
“campagne.” Quanquam idem censet expe-
rimento dignum. In remediis quae vi speciali
in hoc malo praedita sunt putata, acidum re-
censeatur muriaticum a ¹⁵ BRUGNATELLI et
PREVITALI ut imprimis efficax celebratum.
Ejusdem autem pericula postea ab aliis medi-
cis facta virtutes ejus jactatas confirmare non
videntur. In historia sequenti, quam multis
de causis evolvendam puto, tentatum illud
frustra fuit.

JOANNES BRASSEDALE anno aetatis tri-
gesimo, a grandi cane domestico, qui loco quo-

¹⁵ Puellae annos tredecim natae id medicamentum PREVITALI administravit modo sequenti. “L’ho messa alla cura
“ordinandole l’idro-cloro (acido muriatico ossigenato) alla
“dose di quattro scrupoli al giorno in once quattro d’acqua
“di cedro, raddolcita con mezz ’oncia di sciroppo pure di
“cedro, rimedio proposto d’all’esimio BRUGNATELLI, il quale
“venne espressamente preparato da un esperto chimico.”

dam ligatus erat, morsum accepit. Idem canis plures alios momordit, et quatrIduo circiter, notis rabiei primo conspectis, interiit. TrIduo post morsum inflictum, homini ita libere applicatum est causticum ut mollia vulnere proxime vicina omnino corruperit. Die Octobris 28. spasms noctu guttur invadentibus, hic aeger gravem hauriendi difficultatem experiebatur. Mane accedente medico, convulsionibus vexatus acribus insignem aquae horrorem verbis expressit. Potionem petivit sitiens; verum hauriendi conatus commotiones violentas sensusque suffocationis attulit. A brachio morso dolor ad humerum patebat: leviter febricitabat aeger: ab insomniis diris territus expergiscebatur. In faucibus exploratis insoliti nihil est observatum. Cujus esset morbus generis dubitare jam parum licebat. In medendo primum erat, ut plene dejiceretur alvus; ideo statim ministrari clyster est jussus; dein injici tincturae opii guttae centum, et repeti si persisterent spasmi; pariterque balneum gradu caloris 104 per partem horae sextam usurpari: gelida pro re nata impendenda erat et repe-

tenda: admotum est thoraci epispasticum magnum. Die Mensis 30. Tumebant hominis palpebrae facie tota distenta et quasi inflata. Hoc mane primum socero suo dixit sibi persuasum esse malum suum morsu canis oriundum; seque tandem rabie correptum iri. Jamque precibus omnibus contendit, ut sibi per assidentes misera finiretur vita, ipseque horroribus insaniae adventantis eriperetur. Anxio vultu, suspirabat multum, et aegre ducebat spiritum. Cutem in sensus quosdam tenerior, flatum aëris etiam levissimum sic moleste ferebat, ut de quopiam prope transeunte quereretur. Quin et alii quidem sensus ei acutiores sunt facti. Quae cum ita essent, medico deliberandum erat, ad quam curationem confugeret. Nihil remedii vel curationis in hac regione adhibitae prospere successerat: idcirco neutiquam profuturum erat adhibere, quae hactenus ne quidquam quidem profuerant. Exinde idonea habebatur occasio, qua acidi muriatici periculum fieret. Hujus ergo guttae viginti in aqua exhibitae, per gulam difficillime descendere; pars haustus eodem fere vestigio

est rejecta. Sapor ejus aequae ac odor aegroto ingratiſſimus. Horis poſtea tribus guttas ejusdem quindecim in parvula aqua cum ſaccharo exhibitas facilius hauſit, miſturamque jam ſatis eſſe gratam innuit. Hoc medicamentum omni hora dimidia ſumebat; clyſterque cum tincturae opii drachmis duabus horis quartis injiciendus erat, quippe qui veſperi exhibitus nullum quietis conciliaſſet. Hæc vero curatio continuata exiguo vel nulli fuit beneficio. Vultus placidior evaſit, pulſus præter fidem minutus. Viribus ſenſim deficientibus et tandem exhaustis, obmutuit aeger, præterquam quod nonnulla ſecum ſubinde muſſitaret. Artubus frigidis, ſpirabat arctius: poſt hora autem quam hæc fati indicia erant perſpecta, corde vibrare deſinente, expiravit.

*CADaveris SPATIO DIEI POST MORTEM
INCISI HAEC SPECIES ERAT.*

IN brachio sinistro unciis supra carpum circiter tribus perspectae sunt cicatrices quatuor morsu canis rabidi exortae, quarum unam apud brachium interius pro parte tegebat scabies. Dorsum et lumbi colore subfusco rubebant. Antica colli et thoracis prae emphysemate tumebant.

In Cerebro haud multum morbidi comparebat, vasis piaë matris sanguine leviter distentis.

Laryngi Tracheaeque membrana intus obducta a vasis rubris turgidis colorata cernebatur. *Gulae* membrana interna modicum quid inflammationis ostendebat. *In ventriculo* visa inflammationem gravem ibidem grassatam, paene in sphacelum, locis internae membranae nonnullis, desiisse monstrarunt. Maculae quinque formam abnormes, a magnitu-

dine pisi ad majorem inter se variantes, apud ventriculum posteriorem in facie interna prope cardiam repertae, stabiles manebant, postea etiam quam reliqua membrana macerata erat et mundata. Harum similis macula jejuno inerat; ulceratione cuncta provenerant. Abdominis viscera caetera prorsus sana videbantur. *In Thorace* cor erat naturale: pulmones superficiem profundius rubebant, substantiam nihil a sanis mutati. Ex hoc cadavere secto perspectum est, quantum vasa sanguinem vehementia ab actione sana aberrarant. Pleurae vasa et ventriculi sanguine plena apparebant: neque dubium erat, quin arterias minutas venasque inflammatio esset aggressa. Patuit ita topicam inflammationem, hoc exemplo, manifesto contigisse.

Plantis nonnullis vires in hoc morbo speciales attributae fuerunt. ¹⁶ Belladonnā esse perutilem fama retulit, nec non Digitalem. Adhibuit illam sed exiguo fructu Dominus TROLLIET, de qua haec notavit: ¹⁷ “L'extrait “de bella-donna qui a été donne a forte dose “a l'un de nos malades n'a rien changé a la “marche de la maladie.” Exemplis aliquot auxilio fuisse fertur Tabacum, (clysteres ejus praecipue,) Helleborus, Alisma Plantago, Scutellaria Laterifolia, et nuper Genista. Quae quidem revera quicquam profecisse subdubito. Ex usu olei interno aliquos captos esse fructus, auctores quidem crediderunt. Illud remedium, in quo ponebant spes magnas antiqui, a ¹⁸ CÆLIO AURELIANO pridem commendatum, amplius tentari meretur. Ammoniae purae aqua, quam extrinsecus in hoc morbo

¹⁶ Med. and Phys. Journal, Vol. XX. p. 200. Histoire de la Soc. Roy. de Med. 1783, Part II.

¹⁷ Oper. prius cit. p. 361.

¹⁸ De Morb. Acut. Lib. III. p. 231.

applicatum supra significavi, adhibita quoque est intus. ¹⁹ Eandem contra anguium plurium et imprimis Cobrae de Capello venenum lethale, pollere ut antidotum universi fere fatentur. Indicia tum anguium quorundam veneno tum viro canino oriunda, cum similitudine quâdam inter se invicem utraque gaudeant, malum utrumque iisdem curari medicamentis suadere videntur. In malis ambobus nervosum genus imprimis agitur; idcirco cum contra anguium morsus tantum profuerit ista aqua, ab eadem adversus rabiem adhibita effectus salutare haud absurde speraverimus. Acetum quod contra insaniam prospere aliquando agit, utpote utile a BOERRHAVIO, efficax a ²⁰ LE CLERCIO in hoc affectu est celebratum. Ducti sunt ejus vapores sed re parum secundâ. Nec melius vis electrica rem gessit. Plebicae familiaria sunt hujus affectus multa et mira remedia. In his imprimis popolare est, canis qui morsum inflixit, cor

¹⁹ Asiatic Researches, Vol. II. p. 325.

²⁰ L'Hist. Natur. de l'Homme, Tom. II. p. 371.

manducari vel jecur. Quidem alia multa pariter absurde contra rabiem usurpata, hic loci nominatim exponere nugatorium esset.

Ergo modum hujus affectus medendi felicem nondum esse inventum constat: nec in remediis, quae laudarunt eximii medici, quid singula caeteris singulis antecellant, discriminare possum. Tanto totius levamento, ac in exemplo potissimum quod exposui, gelida fuit affusa, ut usum ejus secundum rationem a Doctore ²¹ CURRIE praescriptam magnopere commendem. Illa profecto contra calorem morbidum sensumque irritabiliorem opitulatur. Aegroto nutrimentum aegerrime haurienti; spasmisque musculorum, qui hauriendo inserviunt, conflictanti multum subvenire, ut mihi videtur, liceret, si rationem cibi ministrandi adoptaremus, quam ingeniosus vir ²² JOANNES HUNTER in homine paralyti

²¹ Med Reports on the Effects of Cold Water.

²² See Trans. Soc. for the Improvement of Medical and Chirurgical Knowledge.

gulae affecto commodissime adhibuit, nimirum per tubum gummosum in ventriculum fluidum defundere.

Ergo illud miserandum quidem sed verum repeto, bis mille annorum jam omnem artem hunc morbum perpetuo frustravisse; nec hodiernos utcunque alacres medicos videri curationem ejus, vel minimum, esse promoturos.

Hoc malum quale in animalibus inferioribus se ostendit, depingere, cumque eodem ipso, quale homines adoritur, comparare, consiliaque ad hanc societatis humanae pestem radicitus tollendam a medicis fama et arte florentibus proposita, tractare voluissem; at illud argumentum, optabile sane et utile, ingredi, limites tentaminum hujuscemodi soliti me prohibuerunt.

JOANNES NIXON, annos triginta et tres natus, pedes sex et tres pollices altus, in equitatus legione decurio, e casis militaribus deductus est, propinqui mei curae in nosocomio Phreneticorum Mancuriensi committendus; in quo cum lectulus non suppeteret vacuus, in oppidi nosocomium ejusdem commune die Julii vigesimo, est admissus. Quae secutura sunt exposuere partim Chirurgus et legionis illius Chirurgus adjutor, partim aegrotantis uxor, decurionesque duo, hominis amici, atque a primo morbi impetu comites paene assidui: Julii 24. Postquam foras in stramentis obdormierat, aeger primo apud uxorem de dolore, e pollice sinistro in brachium emicante et apud humerum cessante, quem rheumaticum putabat, conquestus est; membroque laboranti, quo curaretur, cylindrum sulphuris, linteo involutum admovit. Die 25°, Muniis militari-
bus fungebatur; qua exercitatione plus solito defatigatus, nonnisi exiguum somnum nocte

cepit. 26°, Dolor, quem pungentem vocabat, humero atque cervice auctus: torpebat pollex adeo rigidus, ut articulum ejus flectere nonnunquam nequiret aeger. In eodem, neque tumorem, neque morbidum colorem observare licebat. Hanc noctem sensibus molestissimis somnoque interrupto perturbatus egit. 27°, Animus perquam irritabilis erat; vigores ipse et alternâ vice calores sentiebat; suspiria ducebat frequentia; faucium vellicationem, quae spiritum interrumpere, subinde percipiebat. Hac nocte primò ipsum adiit legionis Chirurgus. Tunc temporis se imprimis a dolore apud brachium omoplatamque emicante male habere descripsit; quae Chirurgo explorata nullas morbi notas externas exhibebant. Anodyno diaphoretico praescripto, decumbere jubetur aeger. 28°, Advenienti Chirurgo pectus se habere visus est; iniquies gravissima noctu adfuerat, et sudor profusus. Dolores imprimis severi, qui apud humerum emicant, cervicis et faucium musculos translati vexabant: jamque primo coxaeam pro jentaculo hauriendam aversari se dixit ae-

ger, ne tali strangularetur conatu veritus. Ut aliquid liquidi biberet oblatum rogatus, tentavit, at pauxillum ejus devorare non nisi aegerrime potuit. Quos haberet sensus, verbis exprimere non posse, genereque molestiae inusitato conflictari se significavit. Indiciorum ratione peculiari commotus, ab aegri amicis statim quaesivit medicus, utrum scirent, ipsum periculo, a canis rabidi morsu, expositum fuisse. Illis statim in memoriam venit, aegrum sub mensis Februarii proximi finem a cane suo, cui nimis indulgebat, morsum esse, loco et tempore cum nullus medicus in vicino erat; qui canis, ejus uxore alioque homine morsus, ligatus est unde nemini nocere posset; periitque biduo ut videbatur, rabidus. Manus sinistrae pollici prope unguis radicem morsus est inflictus: vulnus levissimum, unde vix provenit quid sanguinis, ac citissime sanatum. Hoc toto die, 28^o nempe, et nocte gravius agitabatur aeger corpus animumque: pituitam tenacem exspuebat frequens, quam faucibus adeo haerere aiebat, ut se ab ea suffocatum iri putaret. Esurire se sentiebat et sitire; at

cibi quid naurire metuebat. Aliquando prae spasms intercluso spiritu, auras ampliores sibi poscebat; levamentumque molestiae situ corporis saepius mutato paratum iri credebat: In brachio humeroque dolor torporis conditioni prorsus cesseret. Cordis scrobiculus manu compressus sensum molestum est expertus, convulsione aliquâ musculorum in faucibus comitante. Mane catharticum, alvo adstricta, sumpserat, quod satis est operatum. Grana camphorae et opii tria sub formâ bolorum postea praescripta, noctuque hausta. Die mensis 29° cum quidam minus caute, audiente homine, sciscitatus esset, an ille unquam a cane rabido morsum acceperat, et suspicione ob id quaesitum et iracundia se commoveri ostendit: at rei factae recordatus, aperte acriterque cohorrui. Interposito morae paululo, opinionem quasi ista de causâ quid pateretur, visus est contemnere; uti qui carmen ad rabiem avertendam ubique efficax usurpasset.⁶

* Quando morsus est, in oppidulo Hiberniae equitum Tyronibus forté commorabatur, decurio; et heu credula

Opium ei nec somnum conciliaverat nec mala minuerat; pulsus arteriarum celer, debilis, interdum inaequalis. Spiritum prohibitum, dolores ubique corporis volitantes, sensumque gutturis quasi suffocati proprium eundemque ingravescentem questus est, intento abdomine et tumente, sed minime dolente. Ad manducandum bibendumve invitati, mens leniter alienata sed non ad delirium, notata est. Sensus apud cunctos jam factus acutior, ab assidentibus gubernari nolebat. Quae cum ita se haberent, optimum factu visum est, hominem in Phreneticorum nosocomium summo-vari, ubi si quid opus esset, rite coerceretur. Interea vestimento indutus est arctiori. Quem recens jam admissum primo nocte sera vidit propinquus meus; signisque Hydrophobiae evidentissimis luctari comperit. Imprimis a gutturis dolore ejusdemque constricti vel quasi suffocati sensu male habebat; pulsus centum

fides! carmine nescio quo ex caseo hieroglyphicis inscripto contentus, in alium regionis comitatum sine morâ profectus est.

viginti, debiles nec stabiles. Exscreare salivamque faucibus haerentem expuere identidem conabatur. Celeriores ejus actiones ac abnormes; auras saepe captabat anhelus. Cum apud fenestram apertam sedisset, auram aegre tulit, seque jam in eo esse "ut ab ea suffocaretur" exclamavit. Ejus animum ideo graviter offensum quod arctiori veste ipsum includi necesse putaretur, ut leniret, gratiamque sibi pararet, medicus vestem detrahi jussit, quo ille magnopere gavisus, se cuiquam injuriam inferre nec velle nec voluisse quidem, mente composita prorsus esse, pituitâque modo, quae gutturi haerens malum movebat omne, expulsâ, statim convaliturum, medicum certiore fecit. Rogatus an siti affectus quidlibet potionis sibi cupiebat, cum primo faciem prae odio ejus avertisset, protinus ad se rediens aquam postulavit; cujus paullum non sine conatu aegerrimè haurire demum sustinuit: verum simul atque per gulam descenderat liquor, illico universum corpus cum angore gravi contorsit, jugulo comprehenso, manuque vellicationes ibidem nascentes suppressere

est adortus. Hac convulsionis accessione, semen sine hominis voluntate est emissum; quâ de re postea interrogatus, eam supervenisse agnovit. Hoc examine imperatum est, ut aqua e vase altero in alterum, aegroto audiente, infunderetur. Ab hoc facto, nulla in eo incommodi comparuere signa. Ne se perturbatum venirent vultus hominum incogniti, neu veluti spectaculum intuerentur, perquam miserandus oravit. Aliquo pane cum butyro allato, buceas paucas comedit: quidlibet bibere recusavit, ut quod devorare omnino non posset. Ultra modum calebat cutis; sudor faciem tegebat et corporis truncum. Postea nonnihil compositus, cum quidvis exsequi levaminis ergo se paratum profiteretur, vestibus nudatus, linteis siccis fricatus, in cubiculi centro est positus; dein super corpus ex hydriâ, magnâ vi defusa est aqua. Quidquid ei pectoris firmi inerat quo quidem mirè pollebat, eo profecto opus fuit, ut isti se remedio submitteret. Allata lymphâ, corpus confirmatum situ fixit, musculosque contraxit, impetum aquae sustinendi certus. Dein probe

siccato jamque in lecto cubanti clyster e laudani drachmâ dimidiâque et lactis libris duabus est injectus. Brevi magnopere se sublevatum, idque a gelida aquae effusione, quae ipsius erat opinio, aeger dixit. A cutis calore, spirandique difficultate jam minus laborabat; et somni aliquid se capturum autumabat. Quod si inquires caeteraque gravia indicia rediissent, clyster ex opio horis secundis repetendus erat, pariterque aqua affundenda semel saltem noctu. Tincturae opii uncia cum linimenti saponis commisti copia pari praescripta est, quae in cutem summam ex intervallis tota infricaretur. Haec rite gerenda qui curaret, chirurgus domestico partem noctis vigilandum erat; isque in mandatis habebat, ut mendendi modum pro re natâ mutaret. Duo etiam solertes e casis militaribus decuriones quibus confidebat aeger, ei per noctem assidebant. Mane sequente, hora octava, cum medicis aliis quos consuleret, aegrotum revisit medicus (propinquus meus,) eumque priorem noctis partem tranquillè placidèque pro statu traduxisse reperit. Mane hora quarta increvère spas-

mi inquires grandis supervenit et anxietas ; tum verò aeger gelidam affusam ex hydriâ bis impletâ repetitam rogatu suo subiit. Dein in lectulo repositus, istoque remedio insigniter, ut ipse praedicavit, recreatus, sibi relinqui petivit, quippe qui confideret solum se relictum somno occupatum iri. Ea venia data, cum diutius hora quieverat, corpus invasit animumque perturbatio. Clysterem opii accipere nolenti, granum illius unum cum moschi quinque sub boli formâ est datum. Jam non facile sibi persuasum habebat, ut in lectulo maneret ; exscreandaeque pituitae conatibus fere succedebat nausea et nonnunquam vomitus. Hac perturbatione, corpus animumque anxius, ad horam post octavam, dimidiam, temporis momento ad levamentum vix dato, premebatur. Tres bolorum sumpserat ; jamque vultu in pejus valde mutato, hinc et illinc caput circumvolvebat, et res objectas oculis suspicacibus perlustrare videbatur. Rauca vox tremebat : ad aerem captandum hiabat aeger ; digitos in os immittebat frequens, ut salivam, quasi in fila ductilem erueret, quam, ne projecta, cir-

cumstantibus incideret, praecavebat. Percontanti quomodo se haberet in hunc modum respondit; “ si suffocatione gutturis summta, “ somnum cepissem, bene haberem.” Arteriarum pulsus erant centum viginti, adeo debiles ut numeratu difficiles essent. Artus frigebant; sudor glutinosus caput irrorabat cervicemque. Subridebat saepe, animum hilarem salutisque recuperandae confidentem prae se ferebat. Quam grata sibi fuerat affusa gelida, uti quae ardorem depulerit, sreatumque faciliorem effecerit, ostendit, eamque statim iteratam voluit. Verum eam differendam suadebat pulsus conditio, calor corporis minutus, et auctus cutis halitus; opii clyster immittendus, et moschi bolus renovandus erat. Vinum cum aqua appetitum facilius pro statu bibit aeger, dein cerevisiae fortis aliquid, unamque battam hausit. Eo, quod liquorum devorandorum compos esset, summopere delectatus, malum suum, quod febrem vocavit, jam discedere arbitrabatur. Hoc fere tempore invisit eum vir, qui primum ei ipsum canis rabidi morsui objectum esse, in memoriam revocaverat.

Quem ut vidit aeger, ejulavit horrescens admodum, et aversans; instititque ut ille de cubiculo statim exiret. Cujus odii cum quaereretur causa, indignatione verborum gravi in virum exarsit, utpote qui morbum ejus cum rabidi canis morsu conjunctum existimasset; quam cogitationem aeger ipse abominabatur. Illa brevi cessavit ira; cui quod indulisset se tenerrime dolore verbis indicavit, veniamque a viro petivit. Interea sic se gerebat, ut suspiciones ejus de vera morbi natura solummodo sopitae viderentur, acriter denuo erupturae, quotiescunque morsus malaque eum consequuta quavis de causa animo ejus simul obversarentur. Neque tamen animum ejus altius penetraverat invisa opinio; nam hora circiter postea gravissimam irritationem patienti in conspectum subito venit canis apud cubiculi ostium acerrime latrans. Tum vero observatus, quanquam oculos animumque ad animal converterat, vultum tamen suum nequiquam mutavit, non formidinis, non odii signum ullum emisit. Boli, cum granis octo Ammoniaci praeparati additis, gelida affusa, si hanc cutis calor pateretur, et aeger ipse simul

peteret, clysterque iterari sunt jussa. Medicorum concilium iterum est habitum. Paulo ante mala Persica quatuor vel quinque uvarum Corinthiacarum affatim, et aliquid panis cum butyro manducârat; aliquid cervisiae fortis, vinique cum aqua libram avidius nec difficillime hauserat. Injectus erat clyster ex opio—vires hominis tamen procul dubio decreverant; oculis inflammatis humor tenuis purulentus erat diffusus. Ex imo pectore suspiria trahebat, horrendumque in modum subridebat; plena tamen adhuc erat salutis expectatio, gelidamque repetendam cupiebat. Quanquam exitum lethalem laboris appropinquare jam constabat, homini tamen gestus est mos, propterea quod gelida affusa semper ei fuerat levamento. Beneficium inde paratum expectationem superavit. Spasmi levatis, sensuque caloris interni minuto, placidus intra stragula lecti manebat, sibi que relicto soli superventurum somnum putabat. Tempore quo habebatur medicorum concilium, inquit hominis redierat; sensibilis vix erat pulsus; artus tactui frigebant; auctus scretus sputumque; odorem teterrimum

emittebat oris halitus. Ab externi gutturis attrectatu, vel in ventriculum pressu, nihil molestiae sentiebat aeger; eaque ut antea facile patiebatur; at quidlibet super cutem leviter duci ob titillatum maximum sic excitatum ferre nequibat. Ergo magnae molis erat ei persuadere, qui linteolum sibi abmoveri sineret; eidemque fricatio adhibita formidinis aliquid ciebat. Imperatum est ut in curatione antea praescripta pro rerum statu perseveraretur: linimentumque ex ovi vitello, oleo pauxillo, et laudani uncia, in locum alterius est substitutum. Jamque adventabat hora concilio iterum habendo praestituta, cum ad medicum nostrum missus est, qui aegrotum moribundum nunciaret. Illi advenienti inventus est aeger sine motu voluntario supinus, globis oculorum fixis atque de loco protrusis, spiritu stertente, atque adeo tardo, ut non saepius quam ter quaterve horae momento sexagesimo redintegraretur. Horis ante fatum duabus gelidam iterari postulavit; quo opere perfecto jacebat tranquillus; at horae quadrante eum leves aggressi sunt spasmi, qui in sensum mo-

tumque abolitos tandem desierunt. In apoplexiam funestam implicito cuncta similis erat, excepto quod stertore minore laboraret. Obiit die post septimo quam pollici morso ingruerat dolor, horis quinquaginta sex ab hydrophobiae initio.

DE CORPORIS SECTI SPECIE.

CUTIS livor hora post mortem profundior est factus ; corpus aëre distentum.

De Cerebro.—Aperto capite, haec a statu naturali aliena comparuere. Vasa durae matris sanguine praeter naturam distenta, in ramulosque suos distinctius divisa ; pia mater paulo distenta, majorque solito sanguinis copia membranis interposita est. Ventriculus sinister quantum solet humoris continebat ; cerebri substantia nec densior solito nec tenuior, in assulas excisa maculas fuscas superficie sparsas exhibebat. Apud cerebri basin praeter mo-

dum turgebant vasâ, et paulo plus humoris effuderant.

Pharyngi Laryngique nullam phlegonis nota.

In Thorace.—Pulmones nihil prorsus vitia-
ti; flaccescebat cor, nihil in cavis ejus coagulato,
fluido intra pericardium ad uncias duas.* Non
aliud vestigium morbidum in visceribus tho-
racis erat observatum. Statim intra apertae
gulae ostium jacebat substantia quae tamen
cavum totum non implebat; hæc quasi mem-
brana in longitudinem gulae se porrigebat, per
fistulam inflata speciem quasi tubi sibi as-
sumpsit; ad cujus longitudinem membrana
gulae internae abrasa videbatur; membrana
externa profundi ruboris erat; facies interna
punctis quasi purpureis ubique suffusa.

* E pluribus experimentis accurate factis ex aqua gutta
prima in pericardio formata, hydropi pericardii initium duci
existimat Doctor MARSHALL. Vide Morbid Anatomy,
p. 5—18.

Ventriculo.—Inerant ad libram circiter, tunica externa profunde rubebat: interna circa cardiacam praesertim maculis purpureis late tincta. Intestina sana: jecur et vesica speciem naturalia. Eadem fere morbida signa in pleisque hydrophobiae exemplis post mortem reperiuntur; excepta membrana illa insolita, quae apud gulam in hoc exemplo detecta, pars membranae internae illius organi ab omnibus qui aderant putabatur. Id quod eorum opinioni, partis inflammationem in omni hydrophobiae verae exemplo accidere existimantium subsidio venit.

FINIS.



